



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

VI. De his, qui in locis idolorum manducauerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO
CHRISTI
314.

manducauerunt, biennio subiecti pœnitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, vt perfectionem quadriennio consequantur. Penes autem Episcopos erit potestas, modum conuersationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita, & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

V.

De his qui minis tantum cessere pœnarum, aut priuatione facultatum territi, aut demigratione, sacrificauerunt, & hæcenus pœnitudinis negligentes, neque conuersi, nunc huius Concilii tempore semet obtulerunt, conuersionis suæ consilia capientes: placuit vsque ad magnum diem eos inter audientes suscipi, & post magnum diem triennio pœnitentiam agere, & postmodum duobus diebus sine oblatione communicare, & tunc demum sex annis completis, ad perfectionis gratiam peruenire. Si vero quidam ante hanc Synodum suscepti sunt ad pœnitentiam, ex illo tempore initium eis sexennii computetur. Si quod autem periculum, vel mortis expectatio, aut ex infirmitate, aut ex aliqua occasione contigerit, his, sub definitione statuta, communio non negetur.

VI.

De his qui festis diebus gentilium, in remotis eorum locis conuiuia celebrarunt, cibosque proprios deferentes, ibidem comederunt: placuit, post pœnitentiam biennii eos suscipi: vtrum vero cum oblatione, singuli Episcoporum, probantes

vitam eorum & singulos actus, examinent.

VII.

Hi, qui secundo & tertio sacrificauerunt coacti, quatuor annis pœnitentiæ subiiciantur: duobus autem aliis sine oblatione communicent, & septimo anno perfecte recipiantur.

VIII.

Quotquot autem non solum ipsi deuiarunt, sed etiam insurrexerunt, & compulerunt fratres, & causas præbuerunt vt cogentur: hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant, per aliud vero sexennium pœnitentiæ subiiciantur acriori, & alio anno communionem sine oblatione percipiant, vt perfectionem (expleto decennio) consequantur. Inter hæc autem & eorum vita pensanda est.

IX.

Distinct. 28.
Diaconi
quicumque.

Diaconi, quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum vxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debent.

Nota tacitam continentiam professionem in susceptione diaconii.

X.

27. q. 2. Desponsatas puellas.

Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vim illatam constiterit.